LECTIONUM

ET

PUBLICARUM ET PRIVATARUM,

QUAE IN

ACADEMIA MARBURGENSI

PER

SEMESTRE AESTIVUM A. MDCCCXLIV.

INDE A D. XXIX. M. APRILIS USQUE AD D. XIV. M. SEPTEMBRIS

HABENDAE PROPONUNTUR.

MARBURGI.

EX OFFICINA ELWERTIANA.

ACADEMIAE MARBURGENSIS

PRORECTOR CUM SENATU

S. P. D.

COMMILITONIBUS DILECTISSIMIS.

Ennii poetae reliquiae, in quibus colligendis et emendandis olim homines docti satis diligenter et pro illius saeculi natura feliciter versati sunt, dignae profecto sunt, in quibus quis denuo operam atque industriam collocet. Itaque jam Ennianarum quaestionum specimen aliquod in medium proferam, cum illud quidem opus, quod olim inchoavi, editurus illius poetae reliquias, in praesentia persequi non liceat.

I.

Summus ibi capitur meddix, occiditur alter.

Ex Annalibus ut videtur hunc versum petiit Festus p. 123 ed. Müller: „Meddix apud Oscos nomen magistratus est, Ennius: Summus etc.„Ennii editores satis mire scripserunt:

Summus *ubi* capitur *medix*, occiditur alter.

quasi ea crudelitate fuissent Osci, ut capto summo magistratu alterum interfecerint. Alia ratione Dacierius versum conformavit, qui *Unus* correxit, quod recte improbavit Muellerus, cum dicit: „at poterat summus meddix ab alio inferioris dignitatis distingui.“ Atqui recte se habet illa scriptura, nam meddix, quemadmodum Festus interpretatur, nihil aliud est quam *magistratus* simpliciter, atque summus magistratus ubi intelligitur, *tuticus* additur, id quod satis docet Livius XXVI. c. 13: „Medix tuticus, qui summus magistratus apud Campanos est, eo anno Seppius Lesius erat, loco obscuro tenuique fortuna ortus“ et deinde: „Lesius querendo desertam et proditam a primoribus Capuam summum magistratum ultimus Campanorum cepit“ ac similiter XXIII. 35, 13: „Jam Campani eo frequentes ex composito convenerant. nec procul inde in occulto Marius Alfius Medix tuticus (summus magistratus erat Campanis) cum quatuordecim millibus armatorum habebat castra.“ Adde XXIV. 19, 2.

At illi ipsi medici tutico collegam muneris additum fuisse, licet fortasse auctoritate paulo minorem, indicare videtur Ennii versus, qui mihi quidem videtur ab Ennio dictus esse de expugnata aliqua Oscorum urbe, quae cum summus magistratus captus, ejus autem collega occisus esset, plane orbata fuit rectoribus. Atque confirmatur haec conjectura eo, quod in inscriptionibus Oscis non solum Meddix tuticus commemoratur, ut Herculani tit. 17, 1 apud Lepsium: *L. Stabiis L. Aukil meddiss túrtiks* et tit. 20, 1 *V. Púpidiis V. med. túv.* (adde simillimam inscriptionem in praef. p. XII.) et 12: *Ni. Trebiis Tr. med. túv.* item Boviani, vid. 35. verum etiam praeterea *meddix degetasius*, quemadmodum Nolae, ut est in Tab. Abellana lin. 3: *inim maniúí iúrkiúí mai pukalatúí medikei dekelasiúí Núrlanúí*, itemque in aliis titulis Nolanis 18, 3: *Meddiss degetasiús araget* et 38: *Paakul Mulukiis Maraii meddís degetasis aragetud multas.* Neque vero his titulis ita utendum esse arbitror, ut censeas eum magistratum, qui Pompejis et Capuae tuticus vocatus sit, Nolae degetasium esse appellatum: nam hoc ipsum, quod adjectivum addi solet, ostendit plures in eadem civitate fuisse.

Videndum jam est, quid significet illud ipsum *tuticus*, de quo dissentio a Lepsio, qui in libro de inscriptionibus Umbricis et Oscis p. 9 hoc vocabulum idem esse censet, quod *urbanus*, repetitque a nomine *touto*, quod civitatem significet. Sane enim in his monumentis magna est inconstantia, quemadmodum in Tabula Bantina legitur *touto*, *toutikom* alia, in tabula autem Veliterna 24, 4 *totikum:* at hoc quidem minime mirum, quandoquidem Velitrae Volscorum fuit urbs, Volsci autem dialecto diversa ab Oscorum sermone utebantur, unde Titinius:

Qui Osce et Volsce fabulantur, nam Latine nesciunt.

At longius recedit illud *túrtiks*. quod in Pompejanis inscriptionibus constanter reperitur; quamvis sane úv Oscum Latinis sit ū aut ō producta, ut Nolanus Osce dicitur *Núvlanus* in tabula Abellana, *Nurkrinum* in nummis Nuceriae legitur (siquidem hoc satis certum, vid. Leps. p. 115 sqq.) eodemque pacto is qui vocatur in tab. Abell. 3 *maniis iúrkiis* videtur latine dictus esse *Manius Jocius;* at Oscos quoque substituisse ōä vel etiam ō pro úv non credam, nisi aliquo certo firmetur exemplo.

At vero aliud praeterea illius adjectivi exemplum adhibere licet: nam non dubito, quin oppidi nomen, quod fuit *Equus tuticus* dictum, quodque in Apuliae et Campaniae confiniis fuit situm, plane accedat ad *Meddicem tuticum.* Ego autem existimo *túrtiks* nihil aliud esse, quam *magnus* vel potius *summus,* quae interpretatio maxime eo confirmatur, quod oppidum illud, quod *Equus tuticus* vulgo dicitur, in itinerario Hierosolymitano p. 610 ed. Wessel. *Equus magnus* (*Mansio ad Equum Magnum*) dicitur, quam interpretationem Osci nominis esse, quae posterioribus temporibus extincto penitus Osco sermone in usum sit recepta, quis tandem dubitabit?

Ceterum illud ipsum oppidi nomen, quotiescunque priorem partem consideravi, suspectum mihi fuit: nam mirum profecto nomen *Equus tuticus.* Etenim quod oppidulum prope Olisiponem *Equabona* vel *Equa bona* dicitur in Itinerar. Anton. p. 416, id ex cod. Neap. corrigendum est *Aqua bona*, ut *Aqua vira*, alia dicuntur. *Equum Augusti* Gruterus in indice memorat, sed frustra quaesivi. Multo autem maxime mirum accidit hoc nomen propterea, quod *Equus tuticus* non recens fuerit conditum oppidum, sed antiquissimum, nam Diomedes condidisse fertur, vid. Serv. ad. Virg. Aen. VIII. 9: „tenuit partes Apuliae, et edomita omni Gargani montis multitudine, in eodem tractu civitates plurimas condidit. Nam et Beneventum et Equum tuticum ipse condidit.“ hic autem admodum variat scriptura hujus nominis, in Guelf. *1. Equum tuticum* legitur, quemadmodum vulgo appellant, in Guelf. *2 equututicum*, in Voss. *Ecum tuticum*, alii denique *Aequituticum* vel *Aequum tuticum* exhibent. Et vel hae librorum varietates efficiunt, ut de nominis illius veritate dubitemus. Alia rursus forma reperitur apud schol. Horat. Satyr I. 5 87: „Equotutium (ita Cruquius, alii *equum tuticum*) significat, cujus nomen hexametro versu complecti non potest.“ In Antonini autem Itinerario p. 103 legitur: „Ad Equum tuticum M. P. XXI.“ ubi unus cod. *Equotuticum*, alii *Equum tutium*, et p. 111: „Iter a Capua Equo Tutico, ubi Campania limitem habet“ et deinde p. 112 *Equo tutico M. P. XXI* et: *Ab Equo Tutico per Roscianum* etc. et p. 115: „*ab Equo tutico Hydrunto ad Trajectum.*“ et in Itinerario Hierosol. p 611 Wesselingius quidem edidit *Mansio ad Equum Magnum*, at in cod. *Aequum* scribitur. In Tabula autem Peutingeriana est VI. A: *Aequo Tutico.* Cicero porro ad Atticum VI. 1: „Praeter eas (litteras) quas scribis Lentuli pueris et Equo tutico et Brundisio datas.“ Et hi quidem fere sunt veterum loci, quibus oppiduli nomen commemoratur, in quibus magnam discrepantiam inesse facile animadvertes. Accedit autem aliud, quod suspicionem augeat.

Nomen oppido ab indigenis inditum esse verisimile est, sed ab Oscae dialecti norma *Equus* certe abhorret, quandoquidem Oscis litterarum qu nullus est usus, sed ubi Latini his litteris utuntur, iis est p. Arguit id vel Festus p. 200: „Petoritum — alii Osce, quod hi quoque *petora* quattuor vocant, alii Graece, sed αἰολικῶς dictum.“ Item Paulus Diac. p. 212 „*Pitpit*, Osce quidquid.“ Confirmant autem satis tituli Osci, in quibus, quem admodum in tabula Bantina, *pis*, *pod* i. e. quis, quod, saepissime legitur, id quod proxime accedit ad Graeci sermonis dialectos, quae itidem κοῦ et ποῦ, κῶς et πῶς alia variant. Cf. Müller Etrusc. T. I. p. 30. In uno tantum vocabulo videntur litteris Kv usi esse, *Kraisstur* enim dicunt, vid. Tab. Abell. 2. et Inscr. 13, 4. 14, 2. 15, 1. Itaque *equus* certe abhorret ab Oscorum dialecto, dicendumque fuisset *epús* (*epis*), quod prope accedit ad Graecorum vocabulum ἵππος, atque ea ipsa forma deprehenditur in nomine *Epona*, quae dea fuit patrona equorum.

Illud quoque subjungo, Horatium dicere. propterea se non nominavisse oppidum, quod versui hexametro accommodari non possit. Sane dubitari potest admodum, utrum hoc an aliud oppidum Horatius intellexerit, sed doctus interpres, qui dicit Equum tuticum esse, etiamsi difficultatem, quae ex locorum distantia oritur, non animadverterit, certe existimavit non convenire nominis formam numero versus. Atqui Equus tuticus commode hexametro potest includi. Accedit denique, quod nusquam casu recto *Equus tuticus* vocatur. Quae cum ita sint, oppidum ab equo

nomen traxisse nego atque pernego, verum consentaneum est a loci natura inditum esse nomen, itaque Osci videntur *aipo túrtiko* vel *aipúm túrtikúm* appellavisse. Etenim *aipúm* apud Oscos videtur nihil aliud significasse, quam *montis cacumen*, ita ut non sit diversum a Graeco vocabulo *αἶπος*, quod poetae admodum frequentant, quemadmodum Simylus ap. Plutarch. vit. Romuli c. 17 dixit *Καπετώλιον αἶπος*, Parthenius Fr. XLV *Τυφρήστιον αἶπος*, ubi Meinekius alia exempla collegit. Illius vocabuli vestigia satis manifesta etiam alibi deprehendimus. *Aequorum* enim gens, ob id ipsum videtur appellata esse, quoniam montium potissimum cacumina incolebat, pariter atque *Aequiculi*, unde Virgilius Aen. VII. 747:

Venatu nemorum, duris Aequicula glebis

et Ovid. Fast. III. 93:

Quintum Laurentes, bis quintum Aequiculus asper.

quod cave pro deminutiva forma, quae proprie sic dicitur, habeas, quemadmodum Niebuhrius Hist. Rom. I. p. 77. not. videtur existimasse, quae aliena est a populi nomine. Nam quod Plautus fabulam *Poenulum* inscripsit, id ex comoediae natura explicandum est; nec obscura est irrisio cum Cicero de Fin. IV. 20: „Postea tuus ille Poenulus, scis enim Citieos clientes tuos e Phoenica profectos“ dicit. Fuit autem cum Aequiculos dictos esse existimarem pro *Aequicolae*, ut compositum esset vocabulum, at sunt, quae huic opinioni adversentur; potius existimandum est, paragogicam esse formam, Italis non inusitatam. Ita eos, qui Volsci dicuntur, Ennius *Volsculos* vocat, vide Fest. p. 22:

Vulsculu' perdidit Anxur.

qui quidem dicti videntur inde quod *ultra* habitabant sejuncti a reliquis Oscis, de adverbio *ouls* vel *uls* conferas Varr. V. 50. et Festus p. 42 et 379 ed. Mueller. Eodemque modo *sacrum* (sacellum) dicitur Osce *sakaraklúm*, vid. Tab. Ab. 13. 17. 20 et Tit. 35, 3. 37, 3. *Aequiculi* autem non tam ex Aequis, quam ex *Aequicis* dicti, quod quidem ita est formatum ut Volsci, Opsci (Osci) Tusci, Hernici, (qui et ipsi a regionis natura nomen acceperunt, vid. Festus p. 100: Hernici dicti a saxis, quae Marsi *herna* dicunt. Cf. Serv. Virg. Aen. VII, 684.) alia. Jam ut Aequiculi, ita plane similiter formatum est urbis Umbricae nomen *Ocriculum*, quae etiam Ocriculi dicebatur. Verum non solum forma Umbrici oppidi proxime accedit ad similitudinem Aequiculorum, sed etiam vis et significatio. Nam incolae illius urbis *Ocriculi* inde sunt dicti, quod montis cacumen incolebant. Etenim Umbrorum dialecto propria est vox *Ocris*, quae idem quod Oscum *aipúm* significat, unde toties repetitur in tabulis Eugubinis *okriper* vel *ukriper Fisiu*, a monte vel arce Iguvii. Cf. Lepsius Inscript. Umbr. et Osc. p. 8. Eadem voce etiam Latini usi sunt, vid. Festus p. 181: „Ocrem antiqui, ut Atejus philologus in libro glossematorum refert, montem confragosum vocabant, ut apud Livium:

Sed qui sunt hi, qui ascendunt altum ocrim.

et:

Celsosque ocris, arvaque putria et mare magnum.
Namque Taenari celsos ocris.
Haud ut quem Chiro in Pelio docuit ocri.

Ac novum accedit exemplum, quo firmatur id quod dixi de Equo Tutico. Fuit enim Etruriae urbs Falisci, quam Siculorum esse dicit coloniam Dionysius III. 3. Strabo autem V. p. 220: *πόλιν ἰδιόγλωσσον* appellat, quae *Aequum Faliscum* est vocata, ubi scribendum *Αἰκοῦον Φαλίσκον* ex corruptis codicum lectionibus. Eademque urbs etiam incolarum nomine *Aequi Falisci* appellatur, quod cum ipsi jam Romani quid significaret, non satis intelligerent, ad aequitatem et justitiam retulerunt, cum urbs a loci natura, ut fieri solet, nomen traxisset. Minime enim probanda esse videtur Muelleri sententia, qui in libro de Etruscis T. I. p. 109 seq. propterea quod postea urbs Faliscorum ex edito loco in planitiem sit translata, inde demum Aequum Faliscum dictum esse censet, comparato latino vocabulo, quod et ipsum dissimile est, *Aequimelium*. Video autem nunc etiam Guil. Abeken in libro, qui inscribitur *Mittelitalien* in Addendis p. 446 Muelleri sententiam rejecisse. Ejusdem originis sunt alia urbium nomina, sed haec quoque similiter saepe depravata, quemadmodum *Aecae* in Apulia, Liv. XXIII. 20: „Apulorum Aecae op-

pugnatae." Polyb. III. 88. Plin. III. 11 (ubi *Aecani* memorantur). Itinerar. Ant. p. 116 (ubi male *Ecas* vel *Escas* scribitur) Itinerar. Hier. p. 610. Item *Aeculanum*, Hirpinorum oppidum, quod Appian. Bell. Civ. I. 51. memorat, Plin. H. N. III. 11. Itinerar. Ant. p. 120 ubi bis *Eclano* scribitur, Inscript. ap. Orelli 838 (T. I. p. 199) *res publica Aeclanensium* et 862 (T. I. p. 202) *Aeclanenses*, 3108 (T. II. p. 32) et 5020. (T. II. p. 432) *Col. Aeclanens.*, porro ipsum oppidi nomen ib. 5099: *Aeclano*, unde redarguitur id, quod Osannus dicit in Diar. Antiqq. 1843. p. 217, ubi plures titulos Aeculanenses recens repertos edidit, oppidi nomen nusquam commemorari. Hinc colles non ita procul a Surrento, *Aequana* dicti sunt, vid. Sil. Ital. V. 465: „Quaesivit montes leto ac felicia Bacho Aequana et zephyro Surrentum molle salubri." Aperte autem corruptum est nomen oppidi in Pelignis *Superequum*, quod Frontin. de colon. p. 343. appellat, et Plinius III. 12. *Superimo* corrigas: *Superaequum* et *Superaequani*, quod ipsum confirmant tituli illic reperti, vid. *quani*, Orelli p. 613. (T. I. p. 157) et 3196 (T II. p 33) „Q. Vario — is primus omnium Pelignorum senator factus est et eos honores gessit, Superaequani publice patrono." Verum *Aequum*, quae fuit colonia in Dalmatia, vid. Itinerar. p. 269, Ptolemaeus III. p. 59. Αἰκοῦον κολωνία. tit. ap. Orell. 502 (T. I. p. 139), non huc retulerim. Itaque mihi quidem non videtur dubium Oscorum sermoni proprium fuisse hoc vocabulum *Aequum* vel potius *Aipo:* neque mirum si Faliscorum quoque urbs, quam Strabo ἰδιόγλωσσον appellat, eodem nomine usa est. Umbri vero, quae sunt dialectorum discrimina, hac quidem voce caruisse videntur, contra aliam ejusdem notionis retinuerunt.

Latini autem ex ipsa sermonis lege non dixerunt *Aepa*, *Aepum*, *Aepi*, sed *Aecae*, *Aequum*, *Aequi*, itaque etiam illud oppidum, unde profecta est disputatio, *Aequum tuticum* appellaverunt, eamque formam omnibus locis restituendam esse censeo, confirmaturque haec sententia satis auctoritate librorum: nam apud Servium in Itinerar. Hierosol. et in Tabula Peutingeriana *Aequum* dicitur. Accedit autem, quod omnem dubitationem eximit, titulus in ipsa illius oppidi vicinia repertus apud Orell. 1113 (T. I. p. 244):

D. N.
IOVIANO AVG
INVIC
TO.BONO REI P
NATVS AB AEQVO
M. VII.

ubi simpliciter Aequum dicitur, quemadmodum apud Ptolemaeum III. p. 66 Τούτικον vocatur, idque ipsum plane arguit, nullo pacto ferri posse formam *Equotutium* vel *Equotuticum*, ut unum sit vocabulum. Et substantivum esse cum adjectivo copulatum firmat etiam It. Hier. ubi *Aequum magnum* dicitur. Jam cum *Aequum tuticum* diceretur, prima autem syllaba hujus adjectivi producenda sit (nam Oscum úv Latinis est ō vel ū producta, ut supra vidimus) apparet recte censuisse Horatii scholiastam, hoc verbum non potuisse versui adaptari. Ceterum constat librarios ex vulgari consuetudine multo saepius in locum diphthongi āē substituisse ē, quam vicissim.

Denique ut ex his ambagibus ad Ennii versum revertar, quemadmodum ille poeta meddix tuticus satis accurate interpretatus est meddix *summus*, ita etiam cum *alter* dixit, videtur ipsam vim et naturam obscuri vocabuli *degetasius* satis fideliter servavisse.

II.

Ciceronem libentissime poetarum Latinorum versibus scripta sua distinxisse constat, sed cum popularibus illa carmina essent notissima, saepissime unde illi versus petiti essent, non dilucide exposuit: itaque nos in tanto latinarum litterarum naufragio plerumque ignoramus a quo potissimum poeta aut ex quo carmine, ea quae Cicero adhibet, derivata sint. Quamvis autem homines docti multam jamdudum in his rebus indagandis collocaverint diligentiam, tamen etiamnunc plurima leguntur apud Ciceronem, de quorum auctore plane nihil constet aut certe ambigua haereat sententia *).

---

*) Subjungam quaedam exempla ex comicorum poetarum fabulis. — Cicero de Orat. II. 69: „Ex hoc genere est illa Rosciana imitatio senis: *Tibi ego Antipho has sero*, inquit. Senium est cum audio. Atque ita

Praeter ceteros autem poetas Ennium Cicero habuit dignum, ex quo plurima peteret. Ennium quanti aestimaverit Cicero ex pluribus cognosci potest indiciis, quamvis non satis sit perspectum ab hominibus doctis. Ita pessime intellecta sunt, quae apud Ciceronem leguntur in

---

est totum hoc ipso genere ridiculum, ut cautissime tractandum sit." Haec ex comico aliquo petita esse facile apparet, at non recte plerique interpretes, verbum *inquit* Ciceroni tribuunt, quod plane languet et incommodum est; recte Lambinus, quod ex Ellendtii commentario T. II. p. 284 cognosco, dixit, non senem ista dicere, sed Antiphontis adolescentis esse, qui patris senectutem tremula voce ridicule imitaretur. Vix autem dubitari potest, quin de arboribus adolescens loquatur, quas in ipsius usum pater severit. Itaque refero ad *Statii Synephebos*, fabulam nobilissimam. Atque proxime accedit hic locus ad illum, quem Cicero profert de Sen. c. 7: Nemo est enim tam senex, qui se annum non putet posse vivere. Sed iidem elaborant in eis, quae sciunt nihil omnino ad se pertinere: serit arbores, quae alteri saeculo prosint, ut ait Statius noster in Synephebis." Quae quidem sic videntur componenda esse:

serit
'Arbores, quae álteri saéculo prósint.
Tibi ego, 'Antipho, has sero, ínquit.

ut ad canticum aliquod haec pertinuerint; nec opus est, ut *prosiet* corrigatur, creticus enim tetrameter catalecticus satis usitatus est comicis poetis numerus. Idem artificium, quo hic Statius et ut videtur Menander usi sunt, etiam alias adhibetur, conferas maxime Quinctil. XI. 3: „Cum mihi comoedi quoque pessime facere videantur, qui, etiamsi juvenem agant, cum tamen in expositione aut senis sermo, ut in Hydriae prologo, aut mulieris, ut in Georgo incidit, tremula vel effeminata voce pronuntiant." qui locus Ciceronis verba satis illustrat.

Cicero Tuscul. Disput. IV. c. 15: „Quae si quando adepta erit id, quod ei fuerit concupitum, tum effertur alacritate, ut nihil constet, quod agat: ut ille, qui *voluptatem animi nimiam summum esse errorem* arbitratur."

Haec ex Trabea comico poeta petita esse docet ipse Cicero de Fin. „II. 4: Nam et ille apud Trabeam voluptatem animi nimiam laetitiam dicit, eandem, quam ille Caecilianus, qui omnibus laetitiis laetum esse se narrat." Ipsum autem Trabeae versum redintegrare possumus ex epist. ad Div II. 9: „Itaque cum primum audivi, ego ille ipse factus sum, scis, quem dicam; egique omnes illos adolescentes, quos ille jactitat: difficile est loqui: Te autem contemplans absentem et quasi tecum coram loquerer,

Non edepol quantam rem egeris neque quantum facinus feceris,

quod quia praeter opinionem mihi acciderat, referebam me ad illud:

Incredibile hoc factu objicitur,

repente vero incessi *omnibus laetitiis laetus*, in quo cum objurgarer, quod nimio gaudio paene desiperem, ita me defendebam:

Ego voluptatem animi nimiam."

unde apparet Trabeae versum fuisse hunc:

Ego voluptatem animi nimiam summum esse errorem arbitror,

quibus aliquis apud illum comicum poetam alterius immoderatam laetitiam vituperabat. Verum ego in illo Tusculanarum loco plura etiam ex Trabea petita esse censeo, nam illa quidem: *ita effertur alacritate, ut nihil constet, quod agat.* plane conveniunt cum iis, quae in illo ipso loco de Finibus subsequuntur: „Hanc quoque jucunditatem, si vis, transfer in animum, juvare enim in utroque dicitur ex eoque jucundum, modo intelligas inter illum, qui dicat:

Tanta laetitia auctus suum ut nihil constet,

et eum, qui:

Nunc demum mihi animus ardet,

quorum alter laetitia gestiat, alter dolore crucietur, esse illum medium:

Quamquam haec inter nos nuper notitia admodum est,

qui nec laetetur, nec angatur." Itaque conjicio illum, qui reprehenditur apud Trabeam, dixisse: *Tanta laetitia auctus sum, ut nihil constet.* Atque cum apud Ciceronem rectius legatur ex codicum vestigiis: *ut nihil ei constet, quod agat,* Trabea fortasse dixerat:

Tanta laetitia auctus sum, ut nihil constet quod agam mihi.

quibus quidem statim adjungendum arbitror illum. locum quem Cicero Tusc. Disput. IV. 31 affert: „Aliter ille apud Trabeam:

Lena delenita argento nutum observabit meum,
Quid velim, quid studeam: adveniens digito impellam januam,
Fores patebunt: de improviso Chrysis ubi me adspexerit,
Alacris obviam mihi veniet, complexum exoptans meum,
Mihi se dedet: fortunam ipsam anteibo fortunis meis.

quibus versibus juvenis ille immoderatam laetitiam describit, optimeque jam Ciceroniani illi loci illustrantur. Trabeam autem potissimum graves animi commotiones diligenter et artificiose descripsisse, testatur Varro.

Sestiana c. 56 et 57, ubi cum scholiasta quaedam ex Attii Eurysace petita esse diceret, homines docti ei fabulae etiam ea, quae ab initio leguntur, vindicare voluerunt, alii autem, cum animadverterent, hoc nullo pacto fieri posse, conjecturis illum locum tentaverunt, qui sanissimus est. Etenim, ut paucis defungar, quae initio leguntur: „*summi enim poetae* ingenium non solum arte sua, sed etiam dolore exprimebat. — Haec omnia vidi inflammari, fletum etiam inimicis atque invidis excitaret.“ haec inquam ad *Ennii Andromacham Aechmalotidem* referenda sunt, ea autem quae subsequuntur: „Pro Dei immortales quid? *illa* quem admodum dixit idem — sed tamen illud scripsit *dissertissimus* poeta pro me“ etc. haec alius poetae sunt, ex alia tragoedia petita. Etenim *summum poetam* Ennium dixit Cicero, quemadmodum est in orat. pro Balbo c. 22: „Neque enim ille *summus poeta noster* Hannibalis illam magis cohortationem quam communem imperatorum voluit esse, hostem qui feriet, mihi erit Carthaginensis, quisquis erit, cujatis erit.“ *Disertissimus* autem poeta est Attius, quem deinde nominatim appellat 58: „Utrum igitur haec Aesopum potius pro me aut Attium dicere oportuit“ etc. quem quo jure disertum vocet, potest Quinctiliani locus ostendere Inst. Or. V. 13: „Ajunt Attium interrogatum cur causas non ageret, cum apud eum in tragoediis tanta vis esset optime respondendi, hanc reddidisse rationem, quod illic ea dicerentur, quae ipse vellet, in foro dicturi adversarii essent, quae minime vellet.“ Sed haec accuratius tunc persecuturus sum, ubi de Ennii Andromache dicetur. Paulo accuratius autem dicam de alio Ciceronis loco, qui extat in Tusculanis Quaestionibus II. 16, ubi Eurypylus saucius ad Patroclum accedit ejusque opem implorat.

Hos versus Attii esse et ex illius tragici Myrmidonibus petitos esse Hermannus arbitratur Opusc. T. V. p. 142 cui assenserunt homines docti, quod sciam, omnes. Mihi vero secus videtur. Namque in Oratore c. 46 legimus: „Itaque idem poeta qui inusitatius contraxerat,

Patris mei, meum factum pudet,

pro meorum factorum, et

Texitur, exitium examen rapit.

pro exitiorum, non dicit liberum — sed:

Neque tuum unquam in gremium extollas liberorum ex te genus.

et idem:

Namque Aesculapi liberorum.“

deinde pergit: „At ille alter in Chryse, non solum“ etc: tum denique adjunxit *Pacurio Attium:* „Atqui dixit *Accius*“ etc. Itaque vel propterea parum est verisimile illa, quae primo loco commemorantur, ex Attio petita esse: immo probabile est Ciceronem temporis quandam rationem habuisse, ita ut primum Ennium, deinde Pacuvium, denique Attium commemoraverit, nam de Naevio quidem, cujus exigua est apud Ciceronem auctoritas, vix quisquam cogitabit. Atqui dubitari vix potest, quin illi versus, qui ibi adhibentur, Ennii sint. Nam quae primum proferuntur,

---

Fieri autem potest, ut deinde juvenis ille apud Trabeam de spe illa plane sit dejectus, et fortasse huc pertinet illud, quod est apud Ciceronem ad Div. IX. 2, ubi Paeto scribit: „Quare nihil tibi opus est illud a Trabea, sed potius *ἀπότευγμα* meum“

In illo autem loco de Finibus simul Caecilii consimilis sententia respicitur, quam etiam ad Div. II. 9 attigit Cicero et a comico adolescente dictam esse docet:

Omnibus laetitiis laetus.

Novam igitur superstruo conjecturam: quem admodum Cicero in illo loco cum illo senis dicto apud Trabeam:

Ego voluptatem animi nimiam summum esse errorem arbitror,

conjungit Caeciliani adolescentis vocem:

Omnibus laetitiis laetus,

ita Cicero videtur etiam in sequentibus illi dicto adolescentis apud Trabeam:

Tanta laetitia auctus sum, ut nihil constet quod agam mihi.

subjunxisse senis irati Caeciliani asperam vocem:

Nunc demum mihi animus ardet.

Nec falsa est conjectura, hoc Caecilii esse, quandoquidem in oratione pro Coelio c. 16 legitur: „Sed dubito, quem patrem potissimum sumam: Caecilianumve aliquem, vehementem atque durum: Nunc enim demum mihi animus ardet, nunc meum cor cumulatur ira.

Patris mei meum factum pudet

et

Exitium exam n rapit,

ea petita sunt ex illustri loco, qui extat apud Ciceronem de Div. I. 31. eaque sunt, quod accuratius alias demonstrabitur, ex Ennii Alexaudro petita, porro ille versus:

Neque tuum unquam in gremium extollas liberorum ex te genus,

is non dubito quin ex Phoenice sit petitus, plane autem congruit cum Homericis Il. IX 451:

Πατὴρ δ' ἐμὸς αὐτίκ' ὀϊσθεὶς
Πολλὰ κατηρᾶτο, στυγερὰς δ' ἐπεκέκλετ' Ἐρινῦς,
Μήποτε γούνασιν οἷσιν ἐφέσσασθαι φίλον υἱὸν
Ἐξ ἐμέθεν γεγαῶτα· θεοὶ δ' ἐτέλειον ἐπαράς.

Jam illa:

Namque Aesculapi liberorum

ea vero ex hoc ipso loco, de quo agimus, sumta sunt: est autem ille locus ita corrigendus:

O Patricoles ad vos adveniens auxilium et vestras manus
Peto, priusquam oppeto malam pestem mandatam hostili manu;
Neque sanguis ullo potis est pacto profluens consistere;
Si qui sapientia magi' vestra mors devitari potest.
Namque Aesculapi liberorum saucii opplent porticus.
Non potest accedi. PA. Certe Eurypylus hic quidem est: hominem exercitum!
— — — — — — — — — — — — —
EV. — — — — — — Qui alteri exitium parat,
Eum scire oportet sibi paratum, pestem ut participet parem.
PA. Eloquere (propere) res Argivom proelio ut se sustinet.
EV. Non potis ecfari tantum dictis, quantum factis suppetit
Laboris. PA. Tu quiesce igitur et volnus alligavero.
EV. Ubi fortuna Hectoris nostram acrem aciem inclinatam — — — — *)

---

*) Scripsi v. 1 ex auctoritate vett. edd. *Patricoles* pro *Patrocles*, quemadmodum Fronto antiquitatis studiosissimus p. 14 *a Patricole* scripsit: nam hanc antiquitus in usu fuisse formam arbitror, quoniam Romani in graecis nominibus antiquitus novare quaedam ipsorumque sermoni accommodore solebant: maxime insigne est, quod ante liquidas vocales i. u, o, inserere solebant; ejusmodi sunt *mina* (*μνᾶ*) *drachuma* (*δραχμή*) *Alcumena* (*Ἀλκμήνη*) *Alcumaeon* (*Ἀλκμαίων*) vel *Alcimaeon*, quo nomine et Attii et Ennii tragoedias inscribendas esse censeo, quod confirmant Nonianorum librorum lectiones, ubi p. 9 ed. Gerl. *Accius Alcimaone*, p. 80 *Alcimachone*, p. 267 *Alcemeone* scribitur: et Plauto quoque fuerit reddenda eadem forma in Captivis loco depravato III. 4. 30. porro ejusdem generis est *Aesculapius* (*Ἀσκληπιός*) *Hercules* (*Ἡρακλῆς*) quod eo distat a reliquis, quod praeterea extrita est alia vocalis, nam antiquior forma *Herecules* videtur fuisse, quemadmodum in tituiis Oscis est *Sakaraklúm Herekleis*. Ita etiam ex *Πατροκλῆς* ortum est *Patricules* vel *Patricoles*, quod a latini sermonis similitudine minime abhorret, et nescio an Livius quoque Andronicus ap. Gell. VII. 7 scripserit:

Ibi denique vir summus adprimus *Patricoles*

non *Patroclus*. Ceterum ejusmodi formas non poetae Latini finxerunt, sed dudum receptas a popularibus servaverunt, non ausi eas, quae Graecis congruerent, substituere. Nam antiquae illae Graecorum fabulae nobilissimae diu ante Livium Andronicum ad Romanos perlatae erant, maximeque gemmae et vasa fictilia videntur effecisse, ut cum tragici poetae fabulas docerent, heroum nomina et res gestae satis jam essent Romanis notae. Maxima autem diversitas est Etruscorum sermonis, qui litteras vocales maximeque ante liquidam expellere soliti erant, *Phulnices*, *Herkle*, *Menle*, *Semla*, *Atlenta*, *Elchastre*, *Achmiem*, alia. Per Etruscos autem artifices Graecorum illae fabulae primum ad Romanos propagatae esse videntur atque conjicio illas antiquas latinae linguae formas *Aesculapius*, *Alcumena*, sicuti etiam alias alia ratione immutatas. *Ulixes*, *Alumento Catamitus*, etc. non ex ipsis Graecorum nominibus germanis detortas esse, verum ex Etruscis eorundem nominum formis natas. et sic demum mira illa diversitas, quae saepe inter graecas et latinas nominum formas intercedit, nihil videbitur offensionis habere: certe similis plane ratio inter popularia Etruscorum nomina et eorum formas Latinas intercedit, ut *Thurmna*, *Pursne*, *Pepne*, *Arnth*, *Thanchfil* fiunt *Thormena*, *Porsena*, *Perpenna*, *Aruns*, *Tanaquit*, alia, quae nunc accuratius persequi non licet. — V. 6 male quaedam excidisse existimant, post verba: „Non potest accedi," immo Eurypyli sermonem statim excipit Patroclus estque integer octonarius. At vero post v. 7 plura a Cicerone omissa esse apparet, nam videtur Patroclus plu-

Jam vero si haec recte Ennio vindicavi, quaeritur, ad quam tragoediam referenda sint. Ego vero non dubito, quin ex Achille, nobili satis fabula petita sint, quam tangit Cicero etiam in oratione pro Roscio c. 32: „Multos caesos non ad Trasimenum lacum, sed ad Servilium vidimus, quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio?" ubi scholiasta: „In Ennio haec fabula, inducitur Achilles, quo tempore propter Briseidam cum Graecis pugnare noluit, quo etiam tempore Hector classem eorum incendit. In hac pugna Ulisses vulneratus inducitur et fugiens ad Achillem venit. Quum interrogaretur ab Ajace, cur fugisset, ille ut celaret dedecus suum, Quis enim vulneratus ferro Frugio." ubi Orellius *ad Ajacem* correxit, et sane Ajacis auxilio servatus est in pugna illa Ulisses, vid. Ovid. Metam. XIII. 71:

En eget auxilio, qui non tulit, utque reliquit,
Sic linquendus erat: legem sibi dixerat ipse,
Conclamat socios: adsum videoque trementem
Pallentemque metu et trepidantem morte futura,
Opposui molem clypei, texique paventem,
Servavique animam etc. et praecipue Hom. Il. XI. v. 464 seqq.

At non poterat hoc ipsum in scena repraesentare poeta, itaque si haec revera Ulissis sunt verba, necesse est, alius quis narraverit illam Ulissis orationem; facile autem quis conjiciat id fecisse hoc ipso loco Eurypylum, cum Patroclo proelium quemadmodum gestum sit, exponit. Fateor tamen non satis apta omnino videri illa verba, quoniam profecto in ipso proelii discrimine nec Achilli exprobrandi nec Ulissi purgandi fuit facultas. In *Armorum* contra judicio haec verba commode diceret Ulisses, ut dedecus sibi exprobratum excusaret. Tamen quae scholiasta dicit necessario suadent, ut ad Ennii Achillem referamus. Jam fortasse Ennius ita instituit, ut Ulisses quoque vulneratus Achillis tentorium adiret, ibique diceret illa:

Quis enim non vulneratust ferro Brugio?

(ita enim scribendum) recteque jam apud scholiastam legitur *ad Achillem venit*, eritque deinde corrigendum *ab Achille*. Sin cui minus placuerit, bis consimile spectaculum in eadem fabula adhibitum esse a poeta, possit aliquis existimare, illa verba *Eurypylo* esse tribuenda, scholiastam autem temere nomina permutavisse. Sed quamvis haec de se dixerit Eurypylus. vel sic tamen existimandus est Patroclo exposuisse, quemadmodum Ulisses ab Ajace servatus sit, et huc refero, quod est apud Festum p. 242: „*Prolato aere astitit.* Ennius in Achille Aristarchi cum ait, significat clypeo ante se protento" quocum componas Homer. XI. 485:

Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε φέρων σάκος, ἠΰτε πύργον,
Στῆ δὲ πάρεξ.

Retuli autem huc illum Festi locum, quoniam Ennii Achilles, quemadmodum plerumque tragoedia simpliciter appellatur, non diversa fuit ab Achille Aristarchi, quod Columna quoque censuit.

Verum si una tantum Ennii fuit tragoedia, quae Achilles inscripta fuit, cur tandem additum illud ipsum *Aristarchi*. Consentaneum profecto est etiam tragicos poetas eodem pacto, quo comicos non celavisse, unde fabulae argumentum petitum sit: comici sane id in prologis plerumque professi sunt, at vero ex Terentii prol. Heaut v. 8:

Nunc qui scripserit
Et cuia Graeca sit, ni partem maximam
Existimarem scire vestrum, id dicerem.

apparet jam antequam fabula ageretur et fabulae titulum et poetae tam Romani quam Graeci nomen publice indicatum esse, ad illud fere exemplum, quem admodum in didascaliis est:

---

ribus verbis Eurypyli miseriam conquestus esse. Ante v. 10 autem nihil omissum esse arbitror, et ipsum versum redintegravi addito adverbio *propere*, cf. Attium Epigonis Fr. 10: *Eloquere propere ac meum hunc pavorem expectora.* V. 11 solus Bentlejus perspexit, quid sententia requirat: nam cum Cicero adjungat: „Etiamsi Eurypylus posset, non posset Aesopus." apparet illum non inscite dicere, Aesopum histrionem, qui partes Eurypyli susceperit, non posse in scena conticescere: atque necessario poetam ita instituisse, ut dum vulnus obligetur, Eurypylus ordine omne proelium exponat. Quare Bentlejus *tace* addidit, ego vero malui, quoniam *quiesce* id ipsum significat, haec verba Patroclo tribuere, itaque *alligavero* scripsi et *tu* adjeci. Deinde fieri potest, ut versus unus alterve omissus sit: male certe editores Ciceronis discerpunt versus articulos; nam ab integro versu narrationem initium capere consentaneum est, et sic etiam apparet *acrem*, quod omnes libri tuentur, non esse ejiciendum.

HEAVTON TIMORVMENOS TERENTI
GRAECA MENANDRU

ta etiam fuerit:

ACHILLES ENNI
GRAECA ARISTARCHU

At qui tandem factum fuerit, ut Graeci poetae nomen Latinae fabulae tam arcte adhaeserit? Eodem jure omnes omnino palliatae et comoediae et tragoediae ejusmodi additamentis potuissent augeri, at quis tandem legit *Ennium in Hecuba Euripidis*, aut *Pacuvium in Niptris Sophoclis, Plautum in Trinummo Philemonis*, *Terentium in Andria Menandri*? A Grammaticis certe non est Ennianae fabulae titulus profectus, quandoquidem Plautus vel omisso Latini poetae nomine dixit in Poenulo prol. v. 1:

Achilem Aristarchi mihi commentari licet.
Inde mihi principium capiam ex ea tragoedia,
Sileteque et tacete atque animum advertite:
Audire jubet vos imperator — histricus.

Nam haec, quae Weissius miro errore ex ipsa Aristarchi tragoedia conversa esse censet, ex Ennii hac fabula petita sunt.

Itaque ego sic existimo, cum Romani, tunc cum Achilles Ennii docta esset, cognovissent, unde petita esset tragoedia, hanc, quae simpliciter inscripta fuit *Achilles*, *Aristarchi* nomine ornasse, ut ab alia quadam latina fabula cognomine, quae aliunde fuit petita, discernerent. Firmatur autem haec conjectura eo, quod revera Livius Andronicus jam ante Ennium docuit *Achillem*, vide Nonium p. **321.** ed Gerlach v. *Imitat.* Illud autem nomen *Achilles Aristarchi* postea etiam a Grammaticis, qui Ennii tragoedias ediderunt, servatum esse nemo mirabitur. Jam vero adjungam his alium Plauti locum in Rudente, ubi I. l. 4. legitur:

Non ventus fuit, vero Alcumena Euripidi.
Ita omnes de tecto deturbavit tegulas,
Illustriores fecit, fenestrasque indidit.

Interpretes quidem Plauti videntur de graeca Euripidis tragoedia cogitavisse, credo quod ex Diphilo graeco comico conversa est comoedia. At vero non est tam ineptus poeta Plautus, ut etiamsi ejusmodi quid legisset in Diphili fabula, id temere transferret in suam comoediam. Quamquam multo majoris inscitiae reum faciunt Plautum interpretes, qui quod modo significavi, existimant eum in Prologo Poenuli ipsam Aristarchi tragoediam respicere atque ex graeco illos versus interpretatum esse. Immo Plautus notissimum aliquod illo tempore spectaculum intellexit, quod in latina aliqua tragoedia fuit exhibitum. Illam autem fabulam cum Plautus *Alcumenam Euripidi* appellet, equidem si ea, quae supra conjeci, recte disputata sunt, statuo duas ejus nominis illa aetate fuisse tragoedias, quarum altera ex Euripide, altera ex Ione vel Astydamante vel alio quo graeco poeta conversa fuerit. Atque tunc equidem conjecerim, illam, quam Plautus memorat, Ennii fuisse fabulam, quoniam is Plauti aetate plurimum famae assecutus erat apud Romanos et maxime ad Euripidis exemplum se composuit, prior fortasse Livii aut Naevii fuerit tragoedia. Existimo autem ob eandem causam etiam Ennii Medeam *exulem* (nam nequaquam Ennium duas scripsisse fabulas ejusdem nominis probabo alio tempore), Andromacham autem *Aechmalotidem* (ita enim eximie Rothius correxit titulum tragoediae) appellatam esse, quod jam alias ejusdem nominis, quamquam fortasse diversi argumenti tragoedias alii poetae romani docuerant. Atque ob id ipsum valde dubia mihi videtur Naevii Iphigenia, namque Ennianae tragoediae cognomen aliquod exspectaverim. Verum haec in conjectura posita sunt.

III.

Saepius jam homines docti inquisiverunt in eam rationem, quam tragici latini in convertendis graecorum poetarum fabulis secuti sint. Atque illud quidem satis compertum est, tam accuratam et omnibus partibus absolutam conversionem, quam hac nostra aetate requirimus, Romanis intactum fuisse opus, et si qui forte id tentaverint, quemadmodum ferreus ille scriptor Attilius, quem Sophoclis Electram male convertisse perhibet Cicero de Fin. I. **2**, improbatos esse. Vel qui proxime ad Graeca exempla se applicaverunt, secuti sunt illud, quod Cicero ait de optimo gen. dic. c. 7: „Quorum ego orationes si ut spero ita expressero, virtutibus utens illorum

omnibus, id est, sententiis, et earum figuris et rerum ordine, verba persequens eatenus, ut ea non abhorreant a more nostro, quae si e Graecis omnia conversa non erunt, tamen ut generis ejusdem sint, elaboravimus, erit regula, ad quam eorum dirigantur orationes, qui Attice volunt dicere." Contra qui suo confisi ingenio altius se sustulerunt, ii quae minus commode et decore a Graecis poetis facta esse videbantur, immutabant et corrigebant, quemadmodum exempli gratia Pacuvius in Niptris extremis versatus est: nam cum Sophocles Ulissem vulneratum graviter ingemiscentem et muliebri propemodum ritu illacrimantem fecisset, id Romanus poeta viro forti et constanti non satis dignum esse censuit, itaque totum illum locum aliter conformavit, vid. Cic. Tuscul. Quaest. II 21. Est vero etiam medium quoddam iter. Namque equidem existimo tragicos latinos eadem plane ratione usos esse in tragoediis scribendis, qua comicos: quemadmodum enim comici, praecipue Terentius, ubi Graecorum aliquam fabulam elegerunt, quam sequerentur, etiam aliunde ex comoedia, cui simile erat argumentum, quaedam petiverunt, ita etiam Ennium, Attium, Pacuvium graecas tragoedias *contaminavisse*, ut hoc utar verbo, existimo. Quid quod etiam postea Latini poetae eandem fere rationem secuti sunt: nam Virgilius quidem in Eclogis, ubi ad Theocriti exemplum se componit, graecis exemplaribus similiter usus esse deprehenditur. Est autem illud ex ipso Romanorum ingenio repetendum, qui cum rerum potissimum varietate et copia delectarentur, simplicitatem illam argumenti, quae in plurimis graecarum litterarum monumentis reperitur, quaeque a graecis poetis ingeniosissime est exornata, spernebant: itaque latini poetae, ut popularium studiis satisfacerent, rerum plurimarum enarrationem maxime sectabantur. Multo autem magis id in tragoedia usu venit, quam in comoedia, quoniam chori partes imminutae sunt, quamquam non penitus sublatae, uti nuper quoque homines quidam docti, pravo decepti errore, existimant. Sed quae de tragoediarum contaminatione dixi, cum a nullodum sint animadversa, quod sciam, accuratiorem requirunt expositionem, quam quae in hunc satis arctum locum cadat. At exemplo certo aliquo sententia firmanda est, ne videar temere conjecisse. Ennii Iphigenia ad Euripidis exemplum est composita, id quod satis superque docent reliquiae hujus tragoediae. Ita haec*) ex Agamemnonis et senis famuli diverbio:

AG. Quid nocti' videtur in altisono
Coeli clipeo? SEN. Temo superat
Stellas sublime etiam cogens
Atque etiam noctis iter.

componas cum Euripidis versibus Iphig. Aul. 8:

ΑΓ. Τίς ποτ' ἄρ' ἀστὴρ ὅδε πορθμεύει;
ΠΡ. Σείριος, ἐγγὺς τῆς ἑπταπόρου
Πλειάδος ᾄσσων ἔτι μεσσήρης.

et illa Enniana:

Procede: gradum proferre pedum
Nitere; cessas, o fide senex?**)

cum Euripideis v. 137:

ΑΓ. 'Αλλ' ἴθ' ἐρέσσων σὸν πόδα γήρᾳ
Μηδὲν ὑπείκων. ΠΡ. Σπεύδω, βασιλεῦ.

Porro ex Menelai et Agamemnonis controversia haec

AG. Quis homo te exsuperavit usquam gentium impudentia!
MEN. Quis te autem malitia? ***)

---

*) Leguntur ap. Varronem de L. L VII. 73. V. 3. Festum p. 339.

**) Festus p. 249 ed. Müller, ubi tantum haec leguntur: *Procede-cessas.* Sed cum apud Interpret. Virgil. a Maio editos ad Ecl. V. 88 legatur: „ut ait Ennius in Ifigenia: Gradum proferre pedum nitere cessas o fid . . ." haec redintegravi.

***) Cicero Tusc. Disput. IV. 36: „Ira vero, quamdiu perturbat animum, dubitationem insaniae non habet, cujus impulsu existit etiam *inter fratres* tale jurgium: Quis homo — quis autem malitia te (recte Bouherius *Quis te a.* m. correxit) nosti quae sequuntur. alternis enim versibus intorquentur inter fratres gravissimae contumeliae. ut facile appareat *Atrei* filios esse" etc. Apparet ex his Agamemnonis et Menelai esse hoc jurgium itaque non dubitavi ad Ennii Iphigeniam referre, cum Bothius Attii Atreo vindicavisset.

cum Euripideis v. 328:

ΑΓ. Ποῦ δὲ κἄλαβές νιν; ὦ θεοὶ, σῆς ἀναισχύντου φρενός.
ΜΕΝ. Προσδοκῶν σὴν παῖδ' ἀπ' Ἄργους εἰ στράτευμ' ἀφίξεται.
ΑΓ. Τί δέ σε τἀμὰ δεῖ φυλάσσειν, οὐκ ἀναισχύντου τόδε;
ΜΕΝ. Ὅτι τὸ βούλεσθαί μ' ἔκνιζε. σὸς δὲ δοῦλος οὐκ ἔφυν.

Menelaus me objurgat? id meis rebus regimen resistat *)

compares cum v. 322:

Οὐχὶ δεῖν', εἰ τὸν ἐμὸν οἰκεῖν οἶκον οὐκ ἐάσομαι.

et:

Ego projector, quod tu peccas; tu delinquis, ego arguor.

* * *

Pro malefactis Helena redeat, virgo pereat innocens?
Tua reconcilietur uxor, mea necetur filia? **).

omnino congruunt cum Euripide v. 384 et 395:

Εἶτ' ἐγὼ δίκην δῶ τῶν κακῶν ὁ μὴ σφαλείς

* * *

Τἀμὰ δ' οὐκ ἀποκτενῶ 'γὼ τέκνα· καὶ τὸ σὸν μὲν εὖ
Παρὰ δίκης ἔσται, κακίστης εὐνίδος τιμωρία,
Ἐμὲ δὲ συντήξουσι νύκτες ἡμέραι τε δακρύοις
Ἄνομα δρῶντα κοὐ δίκαια παῖδας, οὓς ἐγεινάμην.

Deinde ubi Menelaus jam placabiliorem animum ostendit, haec ad Agamemnonis orationem pertinent:

Plebes in hoc regi antestat loco: licet
Lacrumare plebi, regi honeste non licet ***).

quod est apud Euripidem v. 448 non dissimile:

Ἡ δυςγένεια δ' ὡς ἔχει τι χρήσιμον.
Καὶ γὰρ δακρῦσαι ῥᾳδίως αὐτοῖς ἔχει.
Ἅπαντά τ' εἰπεῖν· τῷ δὲ γενναίῳ φύσιν
Ἄνολβα ταῦτα.

Denique quae Iphigenia dicit:

Acheruntem obibo, ubi mortis thesauri objacent ****)

ea non tam composuerim cum Euripidis versibus 1509, quod Columna fecit,

Ἔθρεψας Ἑλλάδι με φάος,
θανοῦσα δ' οὐκ ἀναίνομαι,

namque ibi Iphigenia cum choro mulierum loquitur, alium autem fecit chorum Ennius, ut continuo apparebit, sed potius, id quod Hermannus proposuit, cum v. 1381:

Κατθανεῖν μέν μοι δέδοκται· τοῦτο δ' αὐτὸ βούλομαι
Εὐκλεῶς πρᾶξαι.

quamquam omnino incertum, num haec ad Euripidis similitudinem expressa sint. Videtur autem ad eundem hunc locum pertinere quod est apud Ciceronem Tusc. Quaest. I. 48: „Iphigenia Aulide duci se immolandam jubet, ut hostium sanguis eliciatur suo.“ quae videntur ex ipsa hac Ennii tragoedia petita esse. Quamquam autem habent aliquam similitudinem cum Euripideis v. 1487:

Ὡς ἐμοῖσιν, εἰ χρεών,
Αἵμασι, θύμασί τε
Θέσφατ' ἐξαλείψω,

---

*) Legitur apud Rufinum de Figuris VI, ubi recte Bentlejus *restitat* pro *restat* correxit, eadem forma usus est Ennius in Satyris apud Nonium p. 100 ed. Gerlach v. *obstringillant*.

**) Legitur ap. Rufinum de Figuris XXXVII: „Syncrisis sive Antithesis, comparatio rerum atque personarum inter se contrariarum, ut: Ego projector etc.“ Verum haec non continuo se excipere docet Euripidis locus.

***) Legitur ap. Hieronymum Epitaph. Nepotiani.

****) Exstat. apud Festum v. *Ob*.

tamen ille quidem locus, quod modo dixi, non videtur ab Ennio expressus esse. Fortasse in extrema fabula Iphigenia haec dixit:

Acheruntem obibo, ubi mortis thesauri objacent,
Ut hostium eliciatur sanguis sanguine

nam Cicero sententiam poetae, non ipsa verba servavit.

Apparet ex his, si ab ultimo loco dicesseris, Ennium ad Euripidis exemplum se composuisse eo pacto, quo latini poetae solent, ita ut non tam verba, quam sensa graeci tragici reddiderit. At vero in Ennii Iphigenia alia leguntur, quae nullo pacto conciliari possunt cum Euripidis fabula: neque vero quis hoc objiciat, Euripidis Iphigeniam, quam nos legimus, adeo immutatam esse, ut plane discrepet ab ea, qua Ennius usus est. Et magna quaedam diversitas jam in eo cernitur, quod Ennius chorum longe alium fecit, quam Euripides. Apparet hoc ex Gellio N. A. XIX. 10: „Atque ibi Julius Celsinus admonuit in tragoedia quoque Enni, quae Iphigenia inscripta est, id ipsum de quo quaerebatur, scriptum esse et a grammaticis magis contaminari solitum, quam enarrari. Quocirca statim proferri Iphigeniam Q. Enni jubet, in ejus tragoediae choro inscriptos esse hos versus legimus: (corrigas in ejus *tragoedia*):

Otio qui nescit uti, plus negoti habet,
Quam cui est negotium, in nullo negotio.
Nam cui quod agat institutum 'st, is negotium
Id agit, studet, ibi mentem atque animum delectat suum.
Otioso in otio animus nescit quid velit.
Hoc idem 'st: hem, neque domi nunc nos nec militiae sumus,
Imus huc, hinc illuc, cum illuc ventum 'st, ire illinc lubet.
Incerte errat animus: praeter propter vita vivitur*).

Hos versus a mulieribus Chalcidicis abhorrere manifestum est, milites vero Achivos optime decent. Et Euripidem quidem ipsum chorum mulierum induxisse, de hac re nemo jam opinor dubitabit. Num igitur suo ingenio Ennius haec immutavit, quod militarem chorum Romanorum moribus melius convenire crediderit? Verum hoc quidem, non tamen eo progressus unquam videtur Ennius, ut cum apud Euripidem Achilles dicat v. 819:

Γῆν γὰρ λιπὼν Φάρσαλον ἠδὲ Πηλέα
Μένω 'πὶ λεπταῖς ταῖςδέ γ' Εὐρίπου πνοαῖς
Λέγουσ' Ἀχιλλεῦ, τί μένομεν; ποῖον χρόνον
Ἔτ' ἐκμετρῆσαι χρὴ πρὸς Ἴλιον στόλου;
Δρᾶ γ' εἴ τι δράσεις, ἢ ἄπαγ' οἴκαδε στρατὸν,
Τὰ τῶν Ἀτρειδῶν μὴ μένων μελλήματα

his uteretur et sua sponte ista novaret. Quin potius tragicum existimo id fecisse, quod comicos egisse saepissime constat inter omnes. Atque mihi quidem videtur ex Sophoclis Iphigenia haec petiisse, ubi similiter aliquis de otio diuturno conqueritur Fr. 288 ed. Dind.:

Τίκτει γὰρ οὐδὲν ἐσθλὸν εἰκαία σχολή.
Θεὸς δὲ τοῖς ἀργοῦσιν οὐ παρίσταται.

quae jam olim in commentat. de Soph. fragm p. 15 conjeci Ennio obversata esse. At sunt etiam alia in Ennii Iphigenia, quae ex eodem fonte hausta existimo. Huc pertinet maxime ille versus, quem Auctor ad Herenn. III. 20 affert: „Cum verborum similitudines imaginibus exprimere vo-

---

*) Ita corrigendus est hic locus, qui frustra homines doctos exercuit, qui conati sunt haec omnia pariter in septenarios trochaicos redigere, at quinque versuum priorum singularis est numerus, isque chori carmini convenientissimus:

– ◡ – ◡̲ | – ◡ – ◡̲ | – ◡ – ◡ ◡̲

jam sequuntur septenarii. — V. 1 scripsi *negoti*, vulgo *negotii*. V. 2 *cui* correxi, quod non eliditur, vulgo *cum*. deinde legebatur *in negotio*, scripsi *in nullo negotio* idque separavi a praegressis verbis, addito praeterea vocabulo *nullo*, quod librariorum errore invectum est in versum subsequentem, ubi scribebatur: *nullo negotio*, at Cod. Palat. Palimps. ap. Maium ad Fronton. T. II. p. 344 *in illo negotium* exhibet, itaque emendavi *is negotium*. — V. 4 *studet, ibi mentem*, sic distinxi, vulgo *studet ibi*, *mentem*, quamquam erit fortasse, qui malit: *studet id*. — V. 5 *hem* scripsi, Pal. *em*, vulgo prorsus deest.

lumus, plus negotii suscipiemus, et magis ingenium nostrum exercebimus. Id nos hoc modo facere oportebit:

Jam domuitionem reges Atridae parant.

In primo loco constituere oportet manus ad coelum tollentem Domitium cum a Regibus Marciis caedatur: hoc erit, *jam domuitionem reges*, in altero loco subornare Aesopum et Cimbrum in *Iphigenia* agentes Agamemnonem et Menelaum. Hoc erit, *Atridae parant.*" quae ad Ennii tragoediam referre non dubito. Ex his autem conjicio in Ennii fabula, postquam militum chorus de nimio otio conquestus erat, in concione populi haec dixisse aut Calchantem aut Ulissem. Nam ea quae Euripides significat tantum, ut v. 494 ubi Menelaus dicit:

Ἴτω στρατεία διαλυθεῖσ' ἐξ Αὐλίδος,

et deinde Agamemnon objicit v. 540:

Κάλχας ἐρεῖ μαντεύματ' Ἀργείων στρατῷ·

et maxime v. 526:

Τὸ Σισύφειον σπέρμα πάντ' οἶδεν τάδε —
Οὐκοῦν δόκει νιν στάντ' ἐν Ἀργείοις μέσοις
Λέξειν ἃ Κάλχας θέσφατ' ἐξηγήσατο,
Κἄμ' ὡς ὑπέστην θῦμα, κᾆτα ψεύσομαι
Ἀρτέμιδι θύσειν.

ea Ennius, Sophoclem ut opinor secutus, repraesentavit in scena: ille autem versus:

Jam domuitionem reges Atridae parant

exordium fuerit orationis, quam Calchas, sive quod probabilius puto, Ulisses habuit, indignabundus et graviter ira commotus in Agamemnonem: nam quod Rhetor dicit: „Jam primo loco constituere oportet *manus ad coelum tollentem* Domitium." id ipsum histrionem, cum hunc versum recitaret, in scena fecisse consentaneum est. Porro ex Achillis oratione locum aliquem servavit Cicero de Republ. I. 18: „Cuique contra Galli studia disputanti in ore semper erant illa de Iphigenia Achillis:

Astrologorum signa in coelo quaerit, observat, Jovis
Cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod beluarum,
Quod est ante pedes, nemo spectat, coeli scrutantur plagas.

quemadmodum ille locus a Maio est correctus. Haec autem Achilles in Calchantem dicit, vatum omnem et astrologorum detestatus artem: et Euripideus quoque Achilles similiter in vaticinantium machinas invehitur, v. 961:

Πικροὺς δὲ προχύτας χέρνιβας δ' ἐνάρξεται
Κάλχας ὁ μάντις· τίς δὲ μάντις ἔστ' ἀνήρ,
Ὃς ὀλίγ' ἀληθῆ, πολλὰ δὲ ψευδῆ λέγει
Τυχών· ὅταν δὲ μὴ τύχῃ, διοίχεται:

Verum totum hunc locum de Sophocle transtulisse videtur Ennius. Denique ex Clytaemnestrae et Agamemnonis colloquio videtur ille versus petitus esse, quem adhibet Servius ad Virg. Aen. I. v. 52:

Quae nunc abs te sunt vastae et viduae virgines.

quibus nihil simile in Euripidea tragoedia legitur. Omnino autem prudenter fecisse censendus est Euripides, quod ea, quae Euripides obiter tantum attigit, cum a prioribus poetis occupata essent, ea supplevit et spectanda exhibuit popularibus suis.

IV.

Festi lexicon qua ratione sit concinnatum, primus perspexit Odofredus Müllerus, maximique illud est momenti, quod animadvertit saepius insertas esse Catonianas glossas et Plautinas, item collectanea de jure augurali, in quibus quidem disponendis, ut par est, primae fere tantum litterae ratio habetur. Qua observatione qui volet uti, is poterit non pauca, quae apud Festum scriptoris nomine non addito leguntur, ad suum referre auctorem. At latius etiam patet, quod Müllerus scite animadvertit: namque etiam Enniana vocabula videntur similiter inserta esse. Documento est locus p. 198, ubi primum sub voce *obsidio* ex Ennii Telamone et ex alia ejusdem poetae tragoedia versus offeruntur, deinde sub voce *orare* ex Annalium Lib. I. versus longus, porro s. v. *Osci* hemistichium Ennii *de muris rem gerit Opscus*, denique sub voce *ob* Enniana alia proponuntur. Apparet in his nullum litterarum ordinem servatum esse, neque magis

id factum est in iis, quae sequuntur, ubi eodem modo ex Gracchi et Catonis orationibus multa exempla proferuntur. Hac observatione uti possumus, ut alia Ennio vindicemus. Sic p. 189 legitur: „*Obigitat* antiqui dicebant pro ante agitat, ut obambulare. *Obinunt*, obeunt. *Objurare* . . . . . antiqui pro aditu ponebant, ut est in . . . . Penthesilea. Formidabant objurare.“ Ennius quantopere frequentaverit praepositionem *ob*, carminum reliquiae docent, itaque facile quis conjiciat haec ex Ennio petita esse, et primam quidem glossam refero ad Ennii versum ex Satyris lib. II., quem Nonius p. 100 ed. Gerlach servavit:

Restitant, occurrunt, obstant, obstringillant, obigitant.

ita enim legendum est, codd. *oragitant*, minus recte Mercerus *obagitant*, neque probo quod olim conjeci *obragitant*. Altera autem glossa *obinunt* plane cum Enniano sermone congruit, ita est in Annalibus ap. Fest. p. 229:

Prodinunt famuli, tum candida lamina lucent.

et ex eodem p. 286: Redinunt
In patriam.

ubi praeterea addit: „Item prodinunt, ferinunt pro prodeunt, feriunt.“ Itaque fortasse etiam Ennii est, quod p. 80 legitur: „*Explenunt*, explent.“ Jam tertia glossa plane est confusa, cum alia, quae exparte excidit. Cum autem apud Paulum legatur: „*Objurare* jure jurando obstringere. *Obitu* dicebant pro aditu.“ apparet non solum versus transponendos esse, sed etiam excidisse versum integrum, itaque legendum:

Obinunt, obeunt || Objurare dicebant pro ju-
(rejurando obstringere, ut est in . . . . .)
Penthesilea: Formidabant objurare. || Obitu
Antiqui pro aditu ponebant, ut est in . . .

At quamquam Penthesilea Ennii nusquam laudatur et omnino ignota est tragoedia, tamen conjicio *Ennii* nomen substituendum esse.

Aliud exemplum animadvertisse mihi visus sum p. 261, ubi primum adverbium *quamde* pluribus Ennianis exemplis illustratur: nam verba corrupta: *tamen hujus in primo* recte jam dudum emendata sunt, *tum Ennius in primo;* deinde pergit Festus: „*Quam mox*, significat quam cito, sed si per se ponas, *mox*, significabit paulo post vel postea.“ quae refero ad Ennii versum ap. Cic. de Div. I. 48:

Exspectant veluti, consul cum mittere signum
Volt, omnes avidi spectant ad carceris oras,
Quam mox emittat pictis ex faucibus currus.

ita enim omnino legendum, alii male *qua mox*. Quod subjungit Festus: „*Quatere* suspensum et vicinum rei alicujus motum significat, non ut Verrius putat, ferire, ut interdum *concutere*, cum id ipsum verbum concutere ex praepositione, quae est *con*, et quatere sit compositum. *Quassare* autem est saepe quatere.“ Enniana enim sunt haec vocabula, ut docet versus apud Macrobium VI. 1

Consequitur, summo sonitu quatit ungula terram.

et ibid. c. 3

Semper abundantes hastas frangitque quatitque

et obscurus versus ib. VI. 1:

Balantum pecudes quatit, omnes arma requirunt.

intelligitur autem ex his, qui factum sit, ut Verrius idem esse diceret, quod ferire. Porro cum Festus *concutere* comparat, videtur ante oculos habuisse versum, quem eodem loco Macrobius exhibet:

It eques et plausu cava concutit ungula terram.

Denique *quassare* petitum est opinor ex illo versu apud Macrob. VI. 7:

Celso pectore, saepe jubam quassat simul altam.

Porro vindicaverim Ennio, quae leguntur in glossa proxima: „*Querquetulanae virae* putantur significari nymphae praesidentes querceto virescenti,“ et quae seqq. Denique Ennianum est, quod in glossa, quae sequitur, legimus: „*Ques* antiqui dixerunt, inde declinatum remanet dativo casu quibus, nam qui adhuc item quis facit, ut isti istis, illi illis.“ conferas Ennii versum ap. Varron. de L. L. VII. 71:

Decem coclites, ques montibu' summis
Rhipacis fodere.

Transeo ad alium locum, qui est p. 297, ubi primum in voce *surus*, Ennius in Annalibus legitur, deinde haec, quemadmodum a Muellero, aliis restituta sunt: „*Suremit*, sumpsit . . . . Inque manum surremit hastam et puerum surempsit . . . . . . puerum sustulerit.“ Haec jam Merula ad Ennii Annales retulit, quod improbat Muellerus, quod Ennius liquidas geminaverit. At nescio quo jure Muellerus hoc argumentum adhibeat. Namque nullus hic geminationi locus est, siquidem simplex verbum, unde descendit *suremit*, est *emo*. Antiqua enim fuit praepositionis forma *subs*, ut est in vocabulo *subscus*, deinde extrita alterutra littera aut *sus* dictum, ut *susque deque*, *sustuli*, *suscipio;* aut *sub*, quae vulgaris est forma. Atque mutata littera s in r existit *surimo*, quemadmodum *dirimo* dicitur, hinc perfectum *suremi*, et conjuntivus *suremsim* vel *surempsim*, quemadmodum *peremptus*, alia dicuntur. At erravit sane Merula, quod ad Annales retulit, sed sunt haec duo exempla ex *tragoediis Ennianis* petita. At vero etiam glossam, quae subsequitur, quaeque satis impedita est, *Syrium*, *non Scyrium* Ennio vindicaverim, nam deinceps sub voc. *summussi* et *sum* Festus Ennii testimoniis utitur.

Paulo difficilior ratio est in Pauli excerptis, sed hic quoque licet Enniana quaedam indagare. Sic quod p. 80 legitur: „*Expectorat*, ex pectore ejicit. *Experrectus* est, qui per se vigilare coepit, expergitus, ab alio excitatus, quem solemus dicere expergefactum. *Excidionem* urbis a caedendo dictum manifestum est. *Effata* elocuta. *Exporgere*, porro agere, exporrigere.“ Compares cum his Ennium in Alcumaeone ap. Cicer. de Or. III. 28:

Tum pavor sapientiam omnem mi examinato *expectorat*,

quamquam postea etiam alii tragici hoc verbo usi sunt; deinde conferas Ennii versus apud Cic. de Div. I. 20:

Haec *ecfatu'* pater, germana, repente recessit

Exporgere autem componas cum forma *porgite*, quam ex Ennio adfert Servius ad Virg. Aen. VIII. 274. Itaque ex eodem poeta fortasse etiam glossae, quae interjectae sunt, repetendae, *experrectus* vel *expergitus* et *excidio*, quamquam eodem vocabulo etiam Plautus usus est in Curcul. IV. 3. 2. Sed haec fateor incerta.

Adjungo alium locum p. 123: „*Metus* feminine dicebant. Ennius: Vivam an moriar, nulla in me est metus. *Metari* castra dicuntur, quod metis diriguntur. *Meddix*, apud Oscos nomen magistratus est, Ennius: summus ibi capitur meddix, occiditur alter. *Meditrinalia*, dicta hac de causa. Mos erat Latinis populis, quo die quis primum gustaret mustum, dicere ominis gratia „Vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor.“ A quibus verbis etiam Meditrinae deae nomen conceptum, ejusque sacra Meditrinalia dicta sunt. *Medioximum*, mediocre. *Medullitus*, ex intimis medullis.“ Nam quod medium interponitur, *metari* id satis bene convenit cum Annalibus Ennii, qui *grumam dirigere* etiam dixit, vid Non. s. h. v. *Medullitus* autem ex Ennii Satyris petitum est, qui dixit Lib. III. auctore Nonio p. 22 et 95 de se ipso:

Enni poeta salve, qui mortalibus
Versus propinas igneos medullitus.

Et sic fortasse idem poeta in Satyris *Meditrinalia* memoravit, et *medioxumum* dixit, quod verbum antiquis usitatum esse docet Varro apud Nonium p. 96, quos versus paulo emendatiores subjungam:

Quid aliud est, quod Delphica
Canit columna litteris
Suis ἄγαν μηδὲν jubens
Nos facere ad mortalem modum
Medioxime, ut quondam patres
Nostri loquebantur. —

P. P. in Academia Marburgensi die X mensis Februarii MDCCCXLIV.